

1694 14

DISSERTATIO JURIDICA
DE
JURAMENTO
PURGATORIO IN CAU-
SIS CIVILIBUS

QUAM
IN LLUSTRI
CHRISTIAN-ALBERTINA
PRÆSIDE

D^N. ELIA AUGUSTO STRYKIO,
D. JUR. PUBL. ET NOVELL.
PROFESSORE ORDINARIO,
FRATRE SUO GERMANO
IN AUDITORIO MAJORI

AD D. MARTII. MDCXCIV.

PLACIDÆ VENTILATIONI SISTIT

HENRICUS CHRISTIANUS STRYKE
LENTZENS: MARCHIC. A. J. & R.

KILONI,
LITERIS JOACHIMI REUMANNI, ACAD. TYP.

25



VIRIS
*ILLUSTRI, MAGNIFICIS ET EXCEL-
LENTISSIMIS*

DOMINIS
**DN. SAMUELI
STRYKIO,**

**ICTO FAMIGERATISSIMO, COMITI
PALAT. CÆSAR. POTENTISS. ELECTOR.
BRANDENB. CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI IN
ACADEMIA HALLENSI PRIMARIO, FACULTATIS
JURID. ORDINARIO ET ACADEMIÆ
DIRECTORI.**

**DN. FRIDERICO
STRYKIO,**

**ICTO CELEBERRIMO, SERENISS.
VIDUÆ DUCIS WURTENBERG. ET OLSNENS.
CONSILIARIO REGIMINIS ET CANCEL-
LARIÆ DIRECTORI.**

**DNN. PATRONIS ET PATRUIS
SUIS OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU
ÆTERNUM DEVENERANDIS**

*HOC, QUICQUID EST SPECIMINIS ACADEMICI, IN
ULTERIOREM SUI, STUDIO RUM Q. SUORUM
COMMENDATIONEM* D. D. C.

*CULTOR OBSERVANTISSIMUS
H. C. STRYKE.*



PRÆFAMEN.

Maximam semper apud omnes populos & ab omni ævo Juramentorum fuisse vim & efficaciam, nemini quidem, qui veterum neotericorumve Scriptorum monumenta vel per transennam tantum inspexit, ignotum esse posse existimo: quippe postquam, invalescente privatae utilitatis curâ, ac indies majora incrementa fumente hominum malitiâ, in mores abierat, fidem semel datam fallere, eâque uti, non, ut servaretur, sed ut pretextu illius alii eò facilius decipi possent, evenit, ut postea nihil propemodum haberetur firmum, nisi divini Numinis testimoniò esset obsignatum *c. 26. X. de Jurejur.* Persvasi etenim erant Legislatores, nihil magis in officio continere posse homines, quam metum Numinis, & cum in Juramento non tantum Deum in testem invocemus, sed & perfidiæ ultorem exposcamus, neminem tam impii tamque præfracti esse credebant animi, ut inevitabilem justissimi Dei

A 2 pœnam

poenam, fidem datam frangendò, temerè in se suosque esset translaturus. Dn. Pufendorff *de Jur. Nat. & Gent. l. 4. c. 2. §. 2.* Hinc quoties vel verum enuntiandum, vel sermoni nostro firmamentum infigne addendum, vel promissum firmiori vinculo adstringendum, vel conscientia nostra ab inculpationibus & præsumtionibus liberanda est, ad Juramentum recurritur, sibi que satis unusquisque cautum putat, ubi hòc vinculo alterum constrinxerit. Unde enatae tot Juramentorum species apud Ddres. Vid. Lauterbach *in Colleg. ff. tit. de Jurejur. §. 33. seq.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. 17. §. 20. seqq.* quas omnes pertractare, nostrum jam non fert institutum, quippe quod tantum circa unicum Juramenti speciem, Juramentum scilicet purgatorium, & quidem quatenus illius usus esse potest in causis civilibus, versabitur; quod tamen cum exactè intelligi nequeat, nisi natura ipsius Juramenti purgatorii prius fuerit exhibita, univèrsam tractationem in duas dividam sectiones, & priori quidem *de Juramento purgatorio in genere*, in posteriori verò *de Juramento purgatorio in causis civilibus in specie* agam. **Faxit Deus, ut cedat feliciter.**

SE-

SECTIO PRIOR

De

Juramento Purgatorio in genere.

SUMMARIA.

Introuitus n. 1. Juramentum quid? n. 3. quid sit Purgatio Canonica? n. 4. seqq. Juramentum Purgatorium quid sit? n. 5. est necessarium n. 9. Imponitur a Judice n. 11. seqq. praevis suspicionibus. n. 13. seqq. Injungitur reus. n. 16. an etiam actoribus? n. 17. quid si uoverint se nolle jurare? n. 18. tam Laicis quam Clericis. n. 19. personis fictis n. 20. masculis & feminis. n. 21. seqq. quid si reus se obtulerit ad Juramentum? n. 24. seqq. In quibus causis obtineat? n. 26. seqq. an etiam in casibus lege non expressis habeat locum? n. 30. seqq. non praestatur prius Juramentum Calumnie. n. 32. seqq. nec potest referri. n. 35. seqq. Praestatur regulariter in judicio. n. 37. & in propria persona. n. 40. an possit praestari per Procuratorem? n. 41. seqq. quid si aliquis peregrinus & idiomatis nostri ignarus? n. 44. Olim adhibebantur etiam certi Compurgatores. n. 45. seqq. An heredes quoque jurare teneantur? n. 48. seqq. An sufficiant verba Juramento equipollentia? n. 52. seqq. num praecise requirantur verba? n. 56. seqq. Adhibentur nonnunquam certi ritus. n. 60. seqq. Praestito hoc Juramento reus absolvitur. n. 64. seqq. regulariter etiam quoad expensas. n. 66. seqq. ita tamen ut salva actori maneant probatio in contrarium. n. 69. seqq. Recusans vero habetur pro convicto & confesso. n. 72. exceptis delictis gravioribus. n. 75. aut nisi innocentiam suam aliter probare velit. n. 74. seqq. ubi etiam admittuntur praesumptiones. n. 76. An se in probatione defecerit postea ad hoc Juramentum habeat regressum? n. 77.

Quod solemne alias esse solet disputantibus, antequam ipsius rei tractationem adgrediantur, nonnulla circa inscriptionem Disputationis notare, illud si in praesenti neglexero, non adeo me peccaturum confido: Etenim uti laudandum illud omnino & necessarium est, ubi verborum ambiguitas obscuritates parit, & ex evolutione tituli ipsi tractationi non exigua lux affundi potest, ita è contrario otiosam tantum redolet solertiam, ubi verba tituli clara sunt atque perspicua: Quod cum in praesenti Dissertatione contingat, operæ

- operæ pretium non esse arbitratus sum, circa juramenti vocem diu occupari, hoc tantum notasse sufficere putans, Juramentum hic sumi pro actu religioso, quò in majorem enuntiationis alicujus fidem, Deum, ut ultorem & vindicem, si fallamus, invocamus. Eodem modo haud necessarium duco, circa vocem purgatorii diu versari, cum facilè unicuique constet, illud à verbo *purgare*, id est, liberare, descendere, unde & in jure Canonico hoc juramentum passim *Purgatio Canonica* appellatur. *rot. tit. X. de Purgat. canon.* ubi notandum purgationem hanc non ideo vocari Canonice, ac si juri Canonico originem suam deberet, uti volunt Vallenf. *ad d. tit. n. i. Jeremias Setser de Jurament. l. 3. c. II. n. 5.* contrarium enim textus juris, tum divini *Exod. XXII. v. 7. seq. Deuteronom. XXI. v. 6. seq. tum civilis l. 6. §. 4. C. de his qui ad Eccl. l. 4. §. 3. ff. de Edend. l. fin. §. 10. C. de Jur. deliber. cum simil.* abundè ostendunt; sed ad contradistinctionem alterius illius per superstitionem superiorum temporum introducti, purgandi modi, quem *Purgationem vulgarem* appellarunt, cujusque varias species, per aquam scilicet calidam aut frigidam, ferrum candens, Duellum &c. recenset Dn. Becman in *Dissert. de Judiciis Dei* qui tamen modus, quod Deus ita tentetur, postea non tantum jure Canonico prohibitus *rot. tit. X. de Purgat. vulgar.* sed & moribus nostris, cum Judex nullam probationem admittere debeat, nisi cujus rationem intellectu suo assequi potest, reprobatus est. Vid. Dn. Samuel Strykius, Patronus & Patruus meus etatem sanctissimè colendus in *tr. de Jure Sensuum Diss. 7. c. 4. n. 7. seqq.* Dn. Müller in *addit. ad Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 17. §. 44. lit. a. n. 3.*
- Est autem hoc Juramentum Purgatorium, ut ad rem ipsam deveniam, nihil aliud, quam quod Judex causâ cognitâ imponit ei, contra quem præsumptiones militant, ut is se per illud eximat & causâ dubia decidatur.
- Ex quibus verbis patet, referendum esse hoc juramentum, ad juramenta *litis decisoria*, & ex his ad ea, quæ communis schola appellat *necessaria*, quæ scilicet Judex defert, & illi, quibus delata sunt, necessario præstare tenentur. Dn. Stryk. *Inrod.*

Introd. ad Prax. forens. c. 20. §. 9. Quamvis enim non ignorem 10
nonnullos hæc juramenta appellare judicialia, quod à judice
in judicio deferantur Dn. Huber. *Prælect. Jur. Roman. & hodi-*
ern. ad tit. ff. de jurejur. §. 7. Ant. Matthæi *de Judic. c. 10. §. 7.* con-
troverſia tamen hæc tantum de verbis eſt, & in re ipſa o-
mnes conveniunt.

Etenim non partes ſibi hoc juramentum deferunt, ſed 11
judex illud imponit vel ad instantiam partis adverſæ, vel ex of-
ficio Carpz. p. 1. c. 22. *df. 15.* & *Proceſs. tit. 12. art. 3. n. 1. ſeqq.*
Faber. *in Cod. l. 4. tit. 1. df. 8.* ſiquidem judici ſtatim ac cauſam 12
cognoscere cœpit, incumbit officium rerum omnium, quæ-
cunque in judicio verſantur, Coſtal *ad l. 25. ff. de Edil. Edict.*
indulgendumque cumprimis ei aliquid eſt circa hoc juramen-
tum, cum probationis quædam ſpecies ſit, aut ad minimum
probationis vice fungatur c. 2. *in ſin. X. de probat.* Carpz. d.
art. 3. n. 56. probationum verò examen ad judicem, ejusque
arbitrium pertineat arg. l. 3. *ff. de teſtib.* Matthæi d. c. 10. §. 59.
Setſer. l. 4. c. 11. n. 1. *ſeqq.* add. *Mev. p. 7. dec. 283. & dec. 227.* Sed 13
cum hic ſapius peccari ſoleat, nequaquam vagum ac illimita-
tum hoc judicis debet eſſe arbitrium, prout aliqui exiſtimant
ob c. *ſin. X. de jurej. l. 31. ff. Eod. coarctandum potiùs illud &*
includendum eſt certis cancellis juxta diſpoſitionem l. 3. C. de 14
Reb. Cred. nec aliter huic juramento locus relinquendus, quam
ubi nec actori in ſupplementum jurare, nec judici ad alia in-
veſtigandi veritatem media progredi permiſſum, jura tamen
reum ob præſumptiones contra ipſum allatas purè abſolvî ven-
tant. Carpz. d. *art. 3. n. 7. ſeqq.* & d. c. 22. *df. 14.* Lauterbach *in Col-*
leg. d. 1. §. 47. Petr. Heig p. 1. *qv. 40. n. 24.* *Mev. p. 5. dec. 173. n. 6.*
Conf. Dn. Stryk. *de Jure Senſ. Diſſ. 10. c. 2. n. 8. ſeqq.*

Quemadmodum & judicis erit in conditionem & mores 15
illius, cui hoc juramentum injungendum diligenter inquirere,
ſapius enim, præſertim quando metus a deſt perjurii, uti in
perjuris & infamibus, melius eſt non deferre juramentum,
quam perjurii dare anſam arg. l. 2. *C. de indiſt. viduit. tollend.*
Loef. *ad ff. de jurej. n. 7.* Carpz. d. *art. 3. n. 10.* & *Prax. Crimin.*

- p. 3. qv. 116. n. 61. Brun. Cent. 2. dec. 98. Hillig. in Donell. l. 24.
 c. 19. lit. T. Mev. p. 5. dec. 47. n. 4. Extra hunc verò respectum,
 & nisi leges aliquibus concesserint, quod inviti ad jurandum
 cogi nequeant. Vid. l. 34. §. 3. ff. de jurej. Carpz. l. 2. Resp. 81. Brun-
 nem, Conf. 114. n. 24. iudex omnibus reis (actoribus enim,
 quod defertur juramentum suppletorium potius est quam
 purgatorium. Strauch. Diss. 25. ad Jur Justin. §. 26. Zoel. d. l. n. 22.)
 hoc juramentum, si suspicionibus quibusdam gravati sint,
 injungit, Mev. p. 4. dec. 31. n. 6. licet forsàn voverint, se nun-
 quam ullò modò juraturos, quippe in ejusmodi voto semper
 Superioris auctoritas est excepta c. 5. C. XXII. qv. 2. c. 5. & 7. X. de
 Vor. essetque votum hoc temerarium, cum veritas ita occultaretur,
 nec indicia eliderentur, cujusmodi votum observari
 non debet. c. 22. C. XXII. qv. 4. c. 18. X. de jurejur. Struv. Decis.
 Sabbath. c. 1. dec. 6. Unde est, quod videamus imponi hoc ju-
 ramentum non tantum Laicis, sed etiam Clericis c. 5. & fin. X.
 de Purg. Can. Conf. Carpz. p. 1. c. 16. ff. 69. ad hos enim, scilicet
 Clericos, ita olim pertinuit, ut dubitatum fuerit, essetne pro-
 prium clericorum, an deberet quoque ad laicos extendi; Val-
 lens. ad tit. X. de Purg. Can. n. 6. ibique alleg. tam veris quam fi-
 ctis personis, uti Universitatibus, Collegiis, &c. Sefter l. 3.
 c. 11. n. 35. Lauterbach. d. l. §. 48. Dn. Müller in addit. ad Struv.
 Ex. 17. §. 45. lit. B. n. 3. tam masculis, quam foeminis c. 3. X. de
 Purg. Can. c. 2. de Juram. in Vitò, & quamvis gravidas ab obliga-
 tione præstandi juramentum vulgus eximat, teste Baldò ad l. 8.
 ff. de test. præstationemque juramenti, donec pepererint, dif-
 ferendam velit, nullam tamen hujus sufficientem video ratio-
 nem, nec enim juramento peccati quicquam inest, nec ex
 ejusdem præstatione ullum foetui, in cujus tamen favorem
 tantum prægnantibus parci solet, imminet discrimen. Dn.
 Stryk. Us. Modern. ff. tit. si quis caut. in jud. §. 8. Mev. p. 5. dec. 80.
 Brunnem. ad l. 18. ff. de Stat. hom.
- 23 Notandum tamen, si simul & masculino & foeminæ impona-
 tur hoc juramentum, exigendum id prius esse à masculino
 Carpz. d. c. 22. ff. 18. & d. art. 3. n. 61. seqq. ut scilicet eò feliciter
 perjuria

perjuria evitentur, in quæ fœminæ ob levitatem sexus magis propensuræ creduntur *arg. c. 10. X. d. V. S.*

Nec referre hic aliquid puto, an reus se ad juramentum hoc obtulerit, an non: Utut enim communiter existiment, offerentem se ad jusjurandum de pejerandi temeritate se quodammodo facere suspectum per illam, quam præ se fert, pejerandi aviditatem; Ddres *ad l. 3. ff. de jurej.* intelligendum tamen hoc est de eo casu, quando aliquis sponte citra ullam necessitatem se ad juramentum offert; quod hoc in casu dici nequit, ubi non tam aviditate ac voluntate jurandi, quam necessitate adductus juramentum sibi injungi petit, cum innocentem se illius esse, cujus infimulatur, demonstrare aliter nequeat, nec in eum perjuriæ suspicio cadere possit, qui quod sibi jure, uti juramentum purgatorium *c. cum in juvenute X. de jurej.* permissum est, petit. *arg. l. 151. ff. de R. J.*

In quibus causis juramentum hoc obtineat inter Ddres adeo expeditum non est, dum alii illud solis causis civilibus adstringunt. Vid. Grœnvege *de LL. abrog. ad l. 2. F. c. 27. § 3. n. 11.* Struv. *Ex. 17. §. 45.* alii verò id extra causas criminales extendendum non esse arbitrantur. Vid. Strauch. *ad jus. Just. Diss. 25. §. 206.* quorum sententias si ita aliquis temperaverit, ut & in civilibus & in criminalibus causis huic juramento adsignetur locus, meo quidem judiciò non aberrabit à vero: sicuti enim de causis civilibus posteriori sectione id fusiùs demonstrabitur, ita quod causas criminales attinet, id juxta hodiernam praxin extra dubium positum est. Carpz. *Pr. Crim. p. 3. qv. 116. n. 58. seqq.* Tabor *Racemat. Crim. 4. in adjunct. Respons. §. 31.* modo delictum commissum non mereatur poenam capitalem, aut indicia, quæ contra delinquentem adfunt, non sufficiant ad torturam Carpz. *d. l. Dn. Müller ad Struv. d. §. 45. Mev. p. 7. dec. 227. n. 4.* nec restringendum hoc juramentum sive in civilibus, sive in criminalibus, existimo ad casus tantùm legibus expressos, uti facit Ant. Matthæi *de Judic. c. 10. §. 59.* sed etiam ad alios casus pro arbitrio judicis illud extendi posse puto cum Struvio *ad Matth. d. l.* dummodo in criminalibus maximâ utatur

B
judex

- judex circumspectione, cum paucis ea animi vis sit, ut poenam sanguinis oppetere malint, quam perjurium committere. Dn. Pufendorf. *Element. Jurispr. l. 1. c. 12. n. 39.* Esbach *ad Carpz. p. 1. c. 22. df. 1. n. 4.*
- 32 Quod si itaque hoc juramentum alicui injunctum fuerit, praestandum praecise est, nec eo nomine prius
- 33 juraturus calumniae juramentum exigere potest, adversa enim pars non detulit, ut hinc etiam a praestatione calumniae juramenti immunis sit Carpz. *p. 3. qu. 116. n. 72. seqq.* Rauchbar *l. 2. qu. 3. n. 35.* in judicem vero, quando juxta leges sanctissimas litigantibus aliquid injungit nulla calumniae cadit suspicio, arg. *l. 3. §. 1. ff. quod met. caus. l. 18. ff. judic. solv.* quin quod judex nihil in judicio petat ab altero, sed vel apud eum petatur, vel ex officio jurare jubeat. Perez *ad tit. C. de R.C. n. 26.* Struv. *Ex. 17. d. 46. ibique Dn. Müller in addit. lit. α. & β. Lauterbach. in Colleg. tit. de jurej.*
- 35 §. 50. Quemadmodum & hoc singulare est, quod cum alias ei, cui jurandi data facultas, liberum sit, utrum id ipse praestare an referre malit, hic tamen omnis electio & referendi facultas
- 36 cesset, nec enim judici referri posset, cum hic de facto & re aliena ita jurare cogeret, contra *l. 11. §. 2. ff. Rer. amot.* nec
- 37 parti adversae, cum juramentum non detulerit, inter deferre vero juramentum & illud referre constituta quaedam sit relatio, semperque referens deferentem respiciat. *l. 34. §. 7. ff. de jurej. ibique Brunnem. Carpz. p. 1. c. 14. d. 7. & in process. tit. 12. art. 3. n. 56. seqq.* Berlich. *p. 1. concl. 52. n. 45.* Setfer *l. 3. c. 11. n. 8.*
- 38 Praestandum autem regulariter hoc juramentum est in loco judicii, inspiciente populo, praesentibusque giudice & parte adversa, aut ejus procuratore *Nov. 124. c. 1. c. Presbyter C. II. qu. 5. Setfer. d. l. n. 38. Carpz. p. 1. c. 22. df. 19. & d. art. 3. n. 58. seqq.* nec facile casus exceptus dabitur, nisi ubi quis vel per aetatem aut valetudinem ipse comparere non potest, vel propter privilegium, quod personis egregiis concessum est, comparere non tenetur. *Ord. Cam. p. 2. tit. 10. §. 1. l. 15. ff. de jurej. & ibi Brunnem. ubi n. 2. docet, quoniam personae egregiarum nomine contineantur.*
- Utroque

Utroque tamen casu, siue compareat is, cui injunctum hoc juramentum, siue non compareat, necessarium erit, ut in propria persona hoc juramentum præstet *L. 12. §. 4. C. d. R. C. & jurej.* cum fieri plerunque soleat, ut ex jurantis vultu & titubatione iudex perjurium detegat, aut pejerandi proclivem voluntatem: Ut ut enim praxis hodierna cum Jure Canonico etiam ad præstationem juramentorum procuratorem speciali mandato instructum admittat *c. 6. X. de Juram. Calumn. c. 2. §. 1. Eod. in Vitò. Blum. Process. Camer. tit. 72. n. 7. Roding. Pandect. Camer. l. 1. t. 26. §. 22. Mev. p. 4. dec. 113. §. p. 8. dec. 369. Struv. Ex. 17. b. 17.* esse tamen adhuc quædam juramentorum genera, in quibus rejecto procuratore propriam personam lex requirit, *Zoës ad tit. X. de jurej. n. 37.* recte statuit, quorum propter expressam dispositionem *Ord. Camer. p. 2. tit. 10. §. 1. & §. ubi non nisi Electores & Principes excipiuntur, etiam nostrum juramentum referimus Carpz. tit. 12. art. 3. n. 58. seqq. Setser. d. c. 11. n. 41. Esbach ad Carpz. p. 1. c. 22. ff. 19.* præsertim cum ob præjudicii gravitatem & perjurii periculum latius ac tutius sit ipsas partes ad jurandum in persona adigere, quam ad præstationem juramenti procuratorem admittere *Carpz. p. 1. c. 12. ff. 39. Ziegler ad Lancellor. Instit. Jur. Can. l. 3. tit. 1. §. 13. Brunnem. ad l. 2. C. de jurej. propt. Calumn. n. 19.* quapropter etiam, si casus contingat, ut peregrino alicui idiomatis nostri ignaro hoc purgatorium imponendum sit juramentum, non existimarem interpretem ad ejus præstationem esse admittendum, sed ipsum peregrinum id in nativa lingua, præsentente interprete, præstare teneri. *Vid. Dn. Stryk. Diss. de Negot. per interpret. gest. c. 2. n. 94.*

Ac olim quidem non tantum ille, contra quem indicia militabant, ad hoc juramentum præstandum erat obligatus, sed receptum quoque erat Jure Canonico, ac Feudali & Constitutionibus Imperii approbatum, ut, cum judicem vita, mores & actiones juraturi sæpius fugerent, alii adhuc adhiberentur, *Compurgatores* aut *Sacramentales* dicti, qui juramento asseverare tenebantur, quod principalem non pejeratum.

rum, sed veritatem dicturum atque sic innocentem crederent c. f. in f. c. quoties X. de Purg. Can. c. 5. X. de testib. 2. F. 33. pr. 1. F. 26. §. 1. Ord. Cam. p. 2. tit. 10. §. 1. Setfer. d. c. 11. n. 30. seqq. Heig. p. 1. qu. 40. Lauterbach. de Juram. Credulit. part. 47 poster. §. 23. Verum ab hac consuetudine, cum perjuriis ansam suppeditet, nec juramenta præter necessitatem nimis sint multiplicanda, pleraque judicia rectè recesserunt, ut proinde ei immorari non expediat. Vid. Setfer. d. h. n. 34. Berlich. p. 1. c. 52. n. 18. Ziegler ad Lancellot. l. 4. tit. 2. Struv. Syn. Jur. feud. c. f. §. 16. n. 3. seqq. Dn. Müller addit. ad Struv. Ex. 17. 48 b. 44. lit. a. n. 8. Proinde quoque nec hæredes inculpati, vivente eo, ad hoc juramentum, tanquam super facto alieno, 49 obligantur: Utrum autem in casu, ubi reus, qui per sententiam juramento se purgare jussus erat, antequam illud præstiterit, decesserat, hæredibus illud juramentum imponendum sit, controvertitur, uti videre est apud Carpz. l. 6. Respons. 120. §. p. 1. const. 24. per tot. §. tit. 11. arc. 6. Quemadmodum autem communis opinio, quod juramentum hoc, si defunctus jurare paratus fuerit, pro præstato habeatur, atque sic ex ea quoque ratione hæredes ad illud præstandum non obligentur, passim recepta est Carpz. dd. ll. Hillig. in Donell. l. 24. c. 13. lit. A. Mev. p. 4. dec. 262. Gail. l. 2. Obs. 43. n. 1. Berlich. p. 1. concl. 55. n. 14. Coler p. 1. d. 116. n. 12. Dn. 51 Lynker. in Analekt. ad Struv. Syn. Jur. Civ. Ex. 17. b. 36. ita tamen existimarem nihilominus potestatem judicis non ita, constringendam esse, quò minus svadente id justa quadam ratione, hæredibus licet non veritatis, credulitatis tamen, juramentum, quod scilicet non credant, ejusmodi aliquid à defuncto contractum vel factum esse, imponere possit. Vid. Carpz. d. Resp. 120. n. 20. seqq. Mev. p. 7. dec. 238. Dn. Müller. ad Struv. Ex. 17. b. 47. add. Lauterbach. de Juram. Credul. part. 47 poster. §. 9. seqq.

Sicuti autem in omni juramento invocatio Dei, ut sci- 52 licet testis eorum, quæ dicuntur, & vindex, si fallamus, existat, requiritur, ita & ea in hoc purgatorio juramento est neces-

necessaria, ut eapropter assertiones illæ bey **Adelichen Ehren/** 53
bey Treu und Glauben/ an Eides statt &c. utut alias jura-
 mento æquipollere dicantur Gail. l. 2. Obs. 59. Berlich p. 2.
 concl. 21. n. 36. Barschamp de Clausul. c. 29. §. 4. n. 28. Wehner.
 Observat. Practic. voc. **bey Treuen und Glauben/** cum hic cor- 54
 porale! & solemne juramentum requiratur, non sufficiant.
 Ruland. de Commiss. p. 2. l. 2. c. 11. n. 45. seqq. Frantzk. ad ff. de
 jurej. n. 28. seqq. Dn. Müller ad Struv. d. l. 8. 11. seqq. Rauch-
 bar. p. 2. qu. 2. add. Carpz. p. 2. c. 16. d. 5. seqq. Mev. p. 1. dec.
 146. Praxis tamen & hoc in casu multis in locis quoad Men- 55
 nonistas contrarium recepit, & eorum simplicem assevera-
 tionem bey **Mannen Wahrheit** juramento, etiam quoad
 effectum perjurii, æquiparavit. Conf. Ant. Matthæi de judic.
 Diss. 10. §. 37. Wissenbach. ad ff. tit. de Jurej. §. 21. Vid. tamen
 Dn. Huber Praelect. Jur. Rom. & hodiern. ad tit. ff. de jurej. §. 2.

Ut verò invocatio illa divina verbis proferatur, neces- 56
 sarium præcisè esse non existimo, nullò unquam jure eadem ad
 substantiam juramenti exigente; Frantzk. l. 2. Ref. 1. n. 39.
 seqq. Setser. l. 1. c. 9. n. 3. certum etenim est juramentum & 57
 scripturam, & alia signa æquipollentia admittere; arg. l. 3. C.
 Si min. se maj. dix. l. 6. ff. de R. C. Feltman. de juram. in alt. anim.
 c. 1. n. 47. lit. D. Dn. Müll. ad Struv. d. l. 8. lit. β. n. 3. quam- 58
 obrem & mutum casu eveniente, modo per scripturam alia-
 vè signa mentem suam proferre & demonstrare possit, ad hoc
 juramentum admittendum esse omninò verius est. Dn. Stryk.
 de Jur. Sens. Diss. 4. c. 4. n. 39. seqq. Hillig. in Donell. l. 24. c. 13.
 lit. B. add. Borcholt. de jurej. c. 1. n. 28. Bachov. ad Treutl. Diss. 21.
 §. 1. lit. A. quamvis non diffitear citra casum necessitatis huc 59
 deveniendum non esse, cum rationi valdè consentaneum
 & securius etiam sit, ut qui loqui potest, præsens præsentibus
 per verba juret. Zoëf. ad tit. ff. de jurej. n. 11.

Atque hinc etiam cum externa, quæ in oculos incur- 60
 runt, magis movere soleant, ut eò major juraturis injicia-
 tur religio, hominesque eò magis à perjurio absterreantur,
 moribus legibusque civilibus certi introducti sunt ritus in ju- 61
 rando

- rando non negligendi, inter quos non ultimum merentur locum elevatio digitorum, & nonnullis in locis recepta Evangelicorum tactura, de quo ritu & an inter Evangelicos tolerandus sit, prolixè egit Dn. Stryk. *de Jur. Sens. Disf.* 7. c. 1.
- 62 n. 17. *seqq.* add. Dn. Müller *ad Struv. Ex.* 17. §. 10. tit. II. quin & quandoque, ut eò major juramento constet auctoritas, candelæ accendi, ac januæ & fenestræ aperiri, aliæque insuper addi
- 63 solent ceremoniæ, contra quas tamen, si inconsuetæ fuerint, ille, cui juramentum injunctum est, protestari, & ut remittantur, petere potest. Lauterbach. *in Colleg. ff. de Jurej.* §. 21. ibique alleg. Laurent. *dec.* 7. n. pen. & ult. Robert. *Rer. Judic. l. I. tit. II.*
- 64 Quod si ergò hoc modo quis præstiterit juramentum, sententia pro eo fertur, absolvitur, & in pristinum statum restituitur c. 8. *in f. X. de Purg. Can.* Gail. l. 2. de P. P. c. 7. n. 12. Lauterbach. *in Colleg. ff. de jurej.* §. 51. Seraph. de Seraph. *de priv. Juram. privit.* 6. n. 6. *seqq.* Brunnem. *Proc. Civ.* c. 23. n. 38.
- 65 cum scilicet ita legitimè peractâ rei purgatione omnis sinistra contra eum antea exorta suspicio, ceu per legitimam innocentiam ostensionem, omniumque suspicionum everticulum, uti hoc juramentum dicitur, Rodrigvetz. *Fermolin tract. Criminal.* 2. p. 260. Mev. *ad Jus Lübec. l. 2. tit. 3. a. n. 50.* extinguitur
- 66 & purgetur; Ungepaur *ad tit. X. de Purg. Canon.* n. 5. quæ ipsa absolutio regulariter non tantum procedit quoad causam principalem, sed etiam quoad expensas; Carpz. *Pr. Crim.* p. 3. qu. 116. n. 77. & p. I. c. 22. d. 17. Gail. & Mev. *ad d. II. Berlich.*
- 67 p. I. *concl.* 52. n. 50. scilicet, quod reus actori eas refundere non teneatur, quamvis nec ipse eas ab actore repetere possit, sed quod utrinque illæ compensentur. Esbach. *ad Carpz. d. df.* 17. n. 3. Zoëf. *ad tit. X. de Purg. Can.* n. 7. Tabor *de Confrontat. Disp.* 5.
- 68 *in Respons. annex. qu. 3.* nisi tamen reus culpabilem suspicionis causam ipse dederit, quo casu illum, quantumvis juramento se purgaverit, ad expensas nihilominus actori teneri tradunt Ddres. Vid. Vallens. *ad tit. X. de Purg. Can.* n. 6. *in f. Struv. Ex.* 17. §. 46. Tabor. *Racemat. Criminal.* 4. *Respons. annex. n. 33.*
- Quamvis

Quamvis verò aliàs juramentum à parte adverſa delatum & præſtitum contrariam non admittat probationem l. 5. §. 2. ff. de jurej. Faber in Cod. l. 4. tit. 1. dñ. 16. hoc juramentum tamen, quippe, quod non à parte ſed à judice deferitur, probationem in contrarium non reſpuit, ut ita actor novis probationibus ſupervenientibus uti, reumque pejeratſe demonſtrare queat, cum tantum in defectu aliarum probationum, abſolutus ſit; arg. l. 31. ff. de jurej. Carpz. p. 1. c. 22. dñ. 20. & Proceſſ. tit. 12. art. 3. n. 75. ſeqq. Mev. p. 1. dec. 13. n. 6. & p. 7. dec. 95. n. 5. Lauterb. in Colleg. tit. ff. de jurej. §. 51. Tabor de Confrontat. Diſſ. 3. §. 16. niſi forſan ſemel pro ſemper terminus omnibus accuſare aut agere volentibus ſit præfixus ſub clauſula præcluſi, tunc enim præſtitò juramentò novam accuſationem non admitti poſt alios docent Heig. p. 1. qu. 40. n. 41. Carpz. d. dñ. 20. n. 5.

Si verò ille, cui hoc juramentum injunctum, id præſtare recuſet, ſententia contra eum fertur ac pro confeſſio & convicto habetur *Auth. novo jure C. de pen. Jud. qui mal. jud. c. 15. X. de Purg. Can.* Carpz. Proceſſ. tit. 12. art. 3. n. 49. Mynſing. cent. 2. Obſ. 58. Setſer l. 3. c. 11. n. 48. Brunneſman d. c. 23. n. 36. niſi verſemur in delictis gravioribus, pro quibus mors aut pœna corporis adſſictiva irroganda Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 116. n. 81. Brunnem. d. n. 36. cum hæc confeſſio pro ficta tantum probatione habeatur. Mynſing. cent. 2. Obſ. 88. n. 4. Berlich. p. 1. concl. 52. n. 47. ex qua in criminalibus nemo ad mortem vel pœnam corporis adſſictivam condemnari poteſt arg. l. 5. C. de probat. Eſbach ad Carpz. p. 1. c. 22. dñ. 17. n. 3. aut niſi innocentiam ſuam probationibus contrariis oſtendere reus velit, quod ipſi non denegandum foret; Berlich. d. concl. 51. n. 29. ſeqq. Carpz. p. 3. qu. 116. n. 64. ſeqq. & d. c. 22. dñ. 16. & tit. 12. art. 3. n. 69. ſeqq. Rauchbar p. 2. qu. 3. n. 11. qui enim conſcientiam ſuam probatione defendit, jurare non tenetur, Mev. p. 2. dec. 166. n. 8. nec turpiter ſed modeſtè potius facere videtur, qui religione magis, quam conſcientia motus tam facile jurare nolit l. 8. ff. de Condit. Inſtit. l. 21. C. d. ſid.

- 76 *fid. Instrum.* Quod non tantum intelligendum de solemnibus & sufficientibus probationibus, sed de presumptionibus quoque in contrarium adductis, nam & hæc presumptiones aut suspensiones contra reum allatas elidunt. Berlich. *d. concl. §2. n. 41. seqq.* Esbach *ad Carpz. d. def. 16. n. 3.* quin & si postea
- 77 in probationibus deficiat, nihilominus ad purgatorium hoc juramentum saluum habet regressum; Berlich. *d. l. n. 39.* per electionem etenim probationum juramentum non abdicavit reus, cum ea illius intelligatur mens, ut malit probare, non ut probans velit esse exclusus ab eo, quod iudex ad decisionem causæ necessarium existimavit. Conf. Mev. *p. 6. Dec. 168. & p. 4. Dec. 5.* Carpz. *p. 1. c. 14. df. 18.* Atque hæc de juramento purgatorio in genere dicta sufficiant.

SECTIO POSTERIOR

De

Juramento Purgatorio in Causis

Civilibus in Specie

SUMMARIA.

Quenam cause dicantur civiles? n. 1. seq. an in causis civilibus locus Juramento Purgatorio? n. 4. seqq. Locum habet 1. in editone Instrumentorum, si quis neget se habere instrumenta, n. 17. seqq. aut si dicat se instrumentum amisisse. n. 23. item si dicat sibi ex editione illius magnum contingere prejudicium, n. 24. seqq. item in extraditione rerum si quis neget penes se esse rem litigiosam, n. 28. si heres neget se habere eas res, que apud defunctum fuere, n. 29. II quando res quedam manifestande n. 30. seqq. ut in case inventarii n. 32. seqq. & jurate specificationis n. 35. si scilicet hodie inventarium defectu laboret, n. 36. seqq. aut obsequatio non præcesserit, n. 38. aut creditores fraudem hæredis præsumptive probent, n. 39. seqq. Tenentur ad hoc Juramentum etiam alie persone, que in bonis defuncti versate sunt, n. 42. seqq. Vidua, que jure retentionis usa est, n. 44. unusquisque administrator, n. 45. Tutores, n. 46. Creditores immisisti, n. 47. An etiam pater bona liberorum adventitia administrans? n. 48. seqq. An mater? n. 50. seqq. Debitor contra

querit

quem decreta executio. n. 52. item qui concursus creditorum excitat. n. 53. seq. de Juramento Paupertatis n. 57. III. quando dubium incidit super quantitate rerum aut pretii, n. 58. Hinc tenentur emigrantes è loco quodam jurato asserere quantitatem bonorum, quæ aliò transferunt. n. 59. seq. heredes inter se conferentes quantitatem rerum à defuncto acceptarum. n. 61. seq. inveniens thesaurum illius quantitatem. n. 63. is cui nomen cessum quantitatem pretii. n. 64. seq. Venditor quantitatem pretii in jure retractus. n. 67. seq. Emphyteya quantitatem meliorationum in casu, quò dominus jus protimiseos habet. n. 69. seq. creditor quantitatem pretii pro pignore vendito accepti. n. 70. seq. Item quantitatem fructuum ex bonis debitoris perceptorum. n. 72. de domino æstimante rem sibi furto ablatam. n. 73. IV. quando probanda ignorantia. n. 74. seq. ut in casu promulgatæ sententiæ. n. 77. seq. emtæ rei furtivæ. 81. seq. ignoti Venditoris. n. 83. noviter reperorum instrumentorum. n. 84. Uxor ante matrimonium ab alio stupratæ. n. 85. seq. adulterii commissi. n. 87. seq. absentis desertoris. n. 89. de Juramento dissestionis. n. 90. seq. de Juramento ex l. fin. C. de fideicommiss. n. 92. seq. de Juramento peritorum in arte. n. 95. seq. V. quando dubium, quò animò aliquid factum. n. 98. in actione injuriarum. n. 99. in reiterata petitione editionis instrumentorum. n. 103. seq. in stupro commissio, si negetur promissio matrimonii. n. 106. seq. item si negetur & stuprum & promissio matrimonii. n. 110. seq. VI. quando queritur cujus nomine alius celebratus. n. 113. ut, si quis jure retractus uti velit. n. 114. immunitatem à vectigalibus alleget. n. 115. pecuniam scænorè dederit. n. 116. seq. VII. in genere, quoties contra aliquem adsunt suspiciones. n. 118. ut heres, quod non coegerit defunctum ad testandum. 119. Judex, quod sibi nihil datum à litigantibus. n. 120. seq. quando quis negat, se constituisse pro alio. n. 123. aut sibi pecuniam numeratam esse. n. 124. si impedimenta alleget. n. 125. si plures dilaciones petat. n. 126. Conclusio. n. 127.

CAusas, quæ in judicium deducuntur in criminales & civiles vulgo distingui tam notum est, quam quòd notissimum. Ex his civiles dicuntur in quibus actor ad privatum commodum & interesse, sive pecuniarium, sive aliud quidvis sit, sibi applicandum agit. Vid. Lauterb. in Comm. ad tit. ff. de judic. §. 11. Strauch. ad Jus Justin. D. 21. §. 1. ubi nihil interesse dicunt, an ex facto quodam licito, an verò illicito oriantur hæ actiones: Atque hoc modò etiam in hoc capite causas civiles intelligendas volo, nec enim ea quorundam se mihi probat sententia, qui moribus nostris judicia civilia adeò late patere putant, ut etiam in iis de relegatione, pœn Carceris, aut pecuniaria Fisco applicanda agi possit, cum hæc judicia

- dicia criminalium nomine venire appareat ex *Ord. Cam.* p. 2. tit. 28. *Confi. Crim. art.* 104. & 110. add. Reinking de *Regim. secul. & Eccl. l. 2. class. 2. c. 14. n. 51. seqq.* Lauterb. d. l. §. 12.
- 4 Ratione harum causarum civilium nihil ferè frequentius in ore Practicorum audiveris, quam vulgatissimum illud juris brocardicon, Actore non probante reum esse absolvendum per l. 4. C. de Edend. l. f. C. de R. V. l. 2. C. de probat. l. 9. C. de O. & A. l. 9. C. de Except. quod brocardicon tam in petitorio, quam in possessorio, tam in prima, quam in secunda instantia, etiamsi reus à sua parte nihil probaverit, cum jus non ex persona rei, sed ex persona actoris metiamur, procedere dicit, & ex pluribus allegatis Doctoribus probat Barbos. in thesaur. l. 1. c. 24. axiom. 7. & hinc eodem brocardico motus Strauchius cum aliis Doctoribus statuit de Jure Civili in causis civilibus nullum Juramenti purgatorii esse usum *Diss. 21. ad Jus Just. §. 26.*
- 7 Verum humani hic aliquid passus, seductusque ab aliis est vir juris alias tam publici quam privati peritissimus, nec enim sententiam ipsius juri civili consentaneam esse evincunt leges inferius allegandæ, in quibus expressa hujus juramenti sit mentio, nec allatum modo brocardicon, modo rite explicetur, id intendit.
- 8 Nimirum iudex, qui secundum acta & probata judicare obligatus est *Mev. p. 1. dec. 87. n. 8. & p. 3. dec. 351. n. 1. & p. 7. dec. 87. n. 6.* Barbos locuplet. *libr. 9. c. 88. axiom. 27.* Perez ad tit. C. de probat. n. 2. Hyppolit. de Marsil. in singular. n. 266. condemnare reum nequit, nisi actor plenè probaverit, aut, ut in allegatis superius legibus dicitur, intentionem suam impleverit, quod quomodo contingat, larga manu tradunt *Ddres ad tit. ff. & C. de probat.* Si vero actor nihil ad probandam intentionem suam attulit, aut reus ea, quæ ab actore prolata contrariis probationibus elisit, quò casu res eò redit, ac si neuter, quicquam probasset. arg. l. 188 ff. d. R. 7. reus per superius allegata absolvendus est Vasqu. *Controv. Illustr. l. 2. c. 30. n. 12. Viv. l. 2. dec. 236. n. 4. Trentacinq. pract. resol. l. 2. tit. de probat. resol. 2. n. 33.* cum judicia priora sint ad liberandum,

dum, quam ad obligandum l. 47. ff. de O. & A. reique semper favorabiliores sint partes, quam actoris l. 125. ff. de R. J. c. 11. cod. in Vlt. ibique Brunnem. n. 1.

Contingit tamen nihilominus sapissime, quod actor inopia probationum, de quo vid. Hlllig. ad Donell. l. 24. c. 19. lit. S. intentionem suam implere & reum plene convincere nequeat, talia tamen afferat, quæ judici causam dubiam, ut dicitur in l. 31. ff. de jurei. reddant, reumque haud exiguis suspicionibus gravent, ex quibus quidem ad condemnationem iudex procedere nequit, cum ex præsumptionibus aut suspicionibus nemo condemnari possit c. 2. X. de presunt. Mev. p. 1. dec. 53. n. 7. Barbo locuplet. l. 14. c. 68. axiom. 17. absolvi tamen simpliciter reum itidem iniquum est, cum suspiciones & præsumptiones ab actore allatas nondum eliserit, nec ab iisdem se purgaverit, quod ipsum non aliter in defectu aliarum probationum quam præstatione hujus juramenti effectui dare valet Carpz p. 1. c. 22. d. §. 14. n. 3. Unde etiam pro insigni cautela actori in causis quoque civilibus comendant, ut à iudice petat, reo graviore præsumptione vel suspicione gravato juramentum Purgationis injungi. vid. Dn. Stryk: Introd. ad Prax. forens. c. 20. §. 13. Mev. p. 4. dec. 8. n. 11. & dec. 31. n. 6. & p. 7. dec. 283. n. 5. add. Heig. p. 1. qu. 40. n. 10. seqq. Brunnem. ad l. 6. ff. de his, qui nor. infam. n. 7. Quin & ipsæ leges ad hoc juramentum recurrendum esse innuunt, dum non tantum in bonæ fidei contractibus cæterisque causis, inopia probationum per iudicem jurejurando causâ cognitâ rem decidendam volunt. l. 3. C. de R. C. sed etiam toties quoties illius mentionem faciunt, ita ut exinde firmiter concludere liceat, generale hoc juramentum de jure civili erudiendi veritatem ac elidendi suspiciones esse medium.

Ita enim huic juramento locum esse statuunt I. quando aliquis ad exhibenda ea, quæ penes se habet, ab altero convenitur; Ex. gr. notum est, posse nonnunquam editionem instrumentorum vel à parte adversa vel à tertio etiam peti, de quo vid. Ddres ad lit. ff. C. de Extend. ita ut ille, à quo petuntur

tuntur ad eorum editionem quoque invitus cogi possit, si suspicio aliqua contra illum sit, quod instrumenta illa penes se habeat. Brunnem. *Proc. civil. c. 19. n. 23. Natta l. 1. Conf. 8. n. 3. Carpz. Proc. tit. 14. art. 4. n. 7.* scilicet si instrumenti cujusdam mentionem fecerit in libello, se ad illud referendū Seraph. de Seraphin *de privil. juram. priv. 6. n. 21.* si penes defunctum fuerint instrumenta, Berlich. *p. 1. concl. 45. n. 35.* si conventus habuerit causam à petente, vel fuerit ei obligatus pro re exhiberi petita Ruland. *de Commiss. p. 2. l. 5. c. c. 21. n. 4.*

19 Carpz. *d. l. n. 9.* His igitur casibus si conventus negaverit penes se esse instrumenta, certè non nudæ ipsius negationi standum est, sed iudex ad elidendas suspiciones allatas juramentum hoc purgatorium ei injungit, quod scilicet nec habeat illud instrumentum, nec alii illud dederit, nec apud alium voluntate ejus constitutum sit, nec dolo malo fecerit, quominus appareat illud, sed re vera ipsum instrumentum sine omni dolo sit. deperditum & productio ejus sibi impossibilis sit, uti habent verba Imperatoris in *l. 21. C. de fid. instrum.* addi. *Mev. p. 6. dec. 212. Ant. Tessaur. dec. 171. Carpz. p. 1. c. 12. ff. 23. Brunnem. ad l. 6. ff. de Edend. n. 5. Dn. Lynker. in analest. ad Siruv. Ex. 5. b. 44.* à quo tamen juramento liberatur, modo petens eo contentus esse velit, si omnia documenta, quæ penes se habet ad inspiciendum & perlustrandum exhibeat. Carpz. *d. l.* Idem juramentum etiam obtinet, quando reus se quidem antea habuisse instrumentum diffiteri nequit, jam vero amissum illud esse præten dit, cum illud adhuc habere præsumatur. *l. 4. C. ad Exhibend. Menoch. de Præsumt. l. 6. c. 64. n. 4. Salicet. ad l. 1. C. de fid. instrum. n. 2. Frantzk. Var. Resol. l. 2. Res. 14. n. 32. Seraphin. privil. juram. 37.*

20 Alius insuper habetur casus in *l. 22. C. de fid. instrum.* ubi quis fatetur quidem esse penes se instrumentum, sed propter præjudicium, quod ex hac editione sibi metuit, se illud petenti edere non posse præten dit, ubi jurare debet, se non quia pecuniam acceperit, vel quid aliud non proferendæ chartæ causa, vel quod muneris promissionem habeat, nec metu illius,

con-

contra quem instrumentum proferatur, nec ejusdem amore chartæ exhibitionem recusare, sed quia magnum ex eo circa facultates suas detrimentum capiet. Verum quod hanc legem attinet, restituta est illa à Cujacio ex Basilicis, notante Gothofredò *ad d. l. lit. F.* & proinde omni juris auctoritate in foris nostris destituitur. Lauterb. *Concl. forens. Ex. 1. th. 7. Richter p. 1. dec. 37. n. 48. Duck. de autor. jur. civ. l. 1. c. 4. n. 13.* nec existimo hoc in casu juramentum necessarium esse cum alia ratione determinari res possit, petenti enim, si præjudicium ex editione metuatur, totum ut edatur, necessum non est. Pacian *de probat. l. 1. c. 66. n. 115. Brunnem. ad l. 10. ff. de Edend. Berlich. p. 1. concl. 43. n. 23. seq.* sed sufficit modo judici totum monstretur instrumentum, qui capitulum tantum illud, quod ad causam facit, petenti communicandum esse decernit Gail. *l. 1. Obs. 106. n. 10. Esbach. ad Carpz. p. 1. c. 17. ff. 5. n. 2.* ut ita ex hac partiali editione nullum edenti contingere possit præjudiciū. Eodem modò si ad extraditionem rerum quarundam, quas penes alterum esse aut fuisse suspicio est, agatur, si alter illud negaverit, ad hoc juramentum recurritur, quemadmodum in casu, ubi aliquis negat penes se esse rem litigiosam decisum in *l. 6. §. 4. vers. sicuti C. de his qui ad Eccl. Carpz. p. 1. c. 22. ff. 9. n. 5. Heig. p. 1. qu. 40. n. 22.* & in genere, si constet res petitas apud defunctum fuisse, hæres verò earum possessionem neget, cum jura præsumant omnia, quæ apud defunctum fuerunt, ad hæredem pervenisse *l. 1. seq. ff. de fidejuss. tur. l. 193. ff. de R. 7. aut res illas restituere, aut juramento se ab hac præsumptione liberare tenetur hæres. Carpz. d. def. 9. §. in Proc. tit. 12. art. 3. n. 33. Heig. d. qu. 40. n. 4.*

Nec tantum in editione ac extraditione rerum ac instrumentorum hoc juramento utimur, sed adhibemus quoque II. illud, ubi saltem de manifestandis rebus quæstio est, dum enim contra possessores rerum præcipue alienarum & in quibus alii jus quoddam prætendunt, multæ propter naturalem illam hominum aviditatem rebus etiam alienis inhiandi oriuntur suspiciones eæ non aliter ferè quam per hoc juramentum elidi poterunt. C 3 Atque

- 32 Atque hinc hæres, ut ut ipsi concessum sit beneficium inventarii, mediante quò bona à defuncto relicta non tantum indicat, sed & ne cum propriis confundantur & ipse creditoribus in solidum teneatur, impedit, nihilominus tamen,
- 33 urgentibus creditoribus aut legatariis, se omnia bona fide in illud inventarium retulisse in puncto juris jurare tenetur *l. fin. §. 10. C. de jur. delib.* & ibi Brunnem. *n. 40.* cum adhibitis etiam omnibus solemnitatibus nihilominus bona quaedam supprimi potuerint. add. Heig. *d.l. n. 21.* Rauchbar. *p. 1. qu. 29.*
- 34 *n. §.* Verum moribus hoc juramentum non amplius requiritur, modo inventarium juxta formam in *d. l. f.* præscriptam fuerit confectum, cum pro inventario præsumatur eique standum sit, donec probetur contrarium. Carpz. *p. 3. c. 33. d. 8.* Mev. *p. 4. dec. 92. §. p. 6. dec. 59. & ad jus Lubec. l. 2. tit. 2. art. 27. in addit. ad n. 59.* Richter
- 35 *p. 1. dec. 59. n. 14. seq.* quod si tamen loco ejusdem designationem tantum bonorum obtulerit, quod itidem moribus nostris permittitur, eandem juramento suo confirmare tenetur Mev. *p. 6. dec. 216. n. 3. & dec. 411. n. 1. §. p. 7. dec. 50.*
- 36 *n. 6.* sicut etiam item obtinet, si inventarium vitio aliquo laboret, aut aliquid in forma præscripta sit neglectum Carpz. *d. c. 33. d. 9.* Berlich. *p. 3. concl. 46. n. 11.* Mev. *p. 7. dec. 50. n. 4.*
- 37 ex qua causa hodie procul dubio factum esse dicunt Dn. Stryk. *de Cautel. contrakt. sect. 3. c. 3. §. 3.* Dn. Hopp. *in Comm. ad §. 5. f. de hered. qual. & differ. p. 370.* ut rarissime hodie admittatur à creditoribus inventarium, nisi juramento sit confirmatum. Idem procedit, si nulla inventarium præcesserit obsignatio bonorum defuncti, aut nimis serò hæres, postquam per dies aliquot jam se immiscuerat rebus hæreditariis, eas obsignari fecerit. Carpz. *d. c. 33. d. f. 10.* & ibi Esbach *in addit. n. 3.* Richter. *d. dec. 59. n. 16.* Nec aliud dicendum, si creditores aut legatarii vel saltem præsumptivè probaverint aliquid fraudis ab hærede, vel in confectione inventarii, vel extra illud fuisse commissum. Carpz. *d. c. 33. d. f. 7. n. §. & d. f. 11. §. l. 6. Respons. 65. n. 12.* Brunnem. *ad. l. fin. C. de jur. delib. n. 24.* Roland. a Valle de
- Con.

Confect. invent. p. 4. qu. fin. nisi forsan ex ignorantia tantum
res quadam hæreditariæ in inventario omiffæ & non deseri-
ptæ fuerint, quo casu onere jurandi minime gravandus hæ-
res, sed ipsi permittendum, ut illas res de novo addat. Carpz.
d. l. def. 12. n. 3. seq. Ddres ad, l. fin. §. 1. C. de jur. delib. præcipue
si protestatione quadam de inferendis inventario postea re-
pertis se muniverit vid. Rittershus. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 11. Hartm.
l. 2. tit. 41. Obs. 3. n. 2. & 3. Dn. Stryk. de Cautel. contr. tit. sect.
3. c. 3. §. 4. Ritmeier. Promptuar. cautel. cent. 1. cautel. 2. Mev.
p. 2. dec. 356. n. 27. & p. 7. dec. 175.

Neque hæc, quæ modo dicta sunt, tantum in hærede
obtinere, verum etiam de omnibus illis personis, quæ tem-
pore obitus in domo ac bonis defuncti fuerunt, vel adhuc
sunt, intelligenda veniunt. Berlich. p. 1. concl. 81. n. 75. &
p. 2. dec. 160. Wefenbec. conf. 235. n. 47. Fuchs. de inventar. c.
3. n. 89. seq. quemadmodum de genero, in cujus ædibus so-
cerus decesserat, ita decisum testatur Richter p. 1. dec. 58. n. 6.
Unde & vidua, quæ ratione illius, quod ex bonis mariti de-
functi sibi deberi prætendit, jure retentionis utitur, ut con-
stare possit, quænam defuncti bona fuerint, ad hoc juramen-
tum præstandum in casu neglecti inventarii obligata est. Carpz.
d. c. 33. df. 5. & p. 2. c. 25. df. 14. Coler. p. 1. c. 2. n. 233. Valasc. de parit. &
collat. c. 6. n. 57. Imo extenditur hoc ad unumquemvis administra-
torem rerum alienarum, qui tempore susceptæ administra-
tionis legitimum non confecit inventarium, aut à proprietario
earum rerum non accepit designationem Carpz. d. c. 33.
df. 7. & l. 6. resp. 65. seq. Berlich. p. 2. dec. 160. & 289. Mev.
p. 2. dec. 245. prout de tutoribus tradunt. Carpz. p. 2. c. 11.
df. 7. n. 6. & ibi Esbach. in addit. Moller semestr. l. 2. c. 14.
Cothm. v. 5. conf. 39. n. 18. Fuchs. c. 9. n. 23. item de credi-
toribus in bona debitoris immiffis videri possunt l. 15. ff. de
reb. aut. jud. poss. ibique Ddres Mev. ad jus Lubec. l. 3. tit. 1.
art. 10. n. 29. seq. Esbach. ad Carpz. p. 3. c. 33. df. 7. n. 2. Li-
mitationem tamen hæc omnia patiuntur in patre admini-
strante bona liberorum adventitia, dum enim jura hunc
optimum

- optimum semper consilium pro liberis suis, capere præsumunt, nullamque suspicionem fraudis contra eum admittunt, nudæ ipsius designationi standum esse Ddres existimant. Brunne- man *ad l. 16. ff. de jurej. n. 8. seq. Mev. ad jus Lubec. p. 2. tit. 2. art. 21. n. 10. seqq. Carpz. p. 2. c. 10. df. 9. n. 13. Finckelthaus. Obs. 76. Sande decis. Frisc. l. 2. tit. 7. df. 2. nisi forsan ob*
- 49 *perversam parentis in his] bonis conversationem periculum dissipationis aut alienationis eorundem immineat, aut pater ad secunda vota transeat Mev. & Brunnem. ad, II. Heefer de ration. redd. loc. 6. n. 156. seq. Christin. v. 1. dec. 101. n. 5. seq. Fuchs.*
- 50 *d. c. 9. n. 30. seq. Quod autem matrem bona liberorū administrantem attinet, in ea quidem etiam assertionem antea allatani limitant Finckelthaus d. Obs. 76. n. 18. Brunnem. d. l. n. 12. Berlich. p. 2. dec. 160. n. 44. & fateor etiam non adeo reverentia matri à liberis debita exactioem juramenti conveni-*
- 51 *re, quod si tamen exactius rem consideremus, apparebit longè diversam matris ac patris esse conditionem, eamque, dum bona liberorum, quæ nec administrationis nec usus- fructus jure ad ipsam spectabant, absque inventario occupat, non parum se suspectam reddere, ita ut eam suspicionem ju- ramento elidere necessum habeat. Carpz. p. 2. c. 11. df. 7. & l. 6. resp. 69. Brunnem. conf. 48. n. 24. Richter p. 1. dec. 58. n.*
- 52 *43. Porro si contra debitorem morosum decreta fuerit execu- tio, suspicio vero contra ipsum militet, illum nonnulla ex bonis suis mobilibus, à quibus initium executionis faciendum juxta l. 15. §. 3. ff. de re jud. occultasse, aut aliò transtulisse, ju- ramento, ut omnia sua bona indicet, gravari potest, quo ipso suspicionem evertit se nulla bona occultasse Carpz. proc. tit. 25. art. 2. n. 19. Brunnem. proc. civil. c. 29. n. 27. & ibi al-*
- 53 *leg. Nicolai in Proc. p. 3. c. 8. n. 20. Quod ipsum juramentum etiam locum invenit in concursibus creditorum, ubi debi- tores se ad cessionem bonorum offerentes, cum contra eos exsurgat præsumptio, juramento bona sua indicare, nihil- que ab ipsis occultatum aut fraudulenter alienatum esse*
- 54 *asserere debent, per expressam sanctionem Nov. 135. c. 1. de cujus*

cujus Novellæ auctoritate utut quidem dubitent Groenvve-
gen de LL. abrogat. ad d. Nov. Gudelin de jur. noviss. l. 4. c. 16.
vers. tribuit. Perez. ad t. C. qui bon. ced. poss. n. II. fides tamen 55
illis haberi nequit, cum hanc Novellam in foris nostris
obtinere & debitores concursum excitantes hoc juramento
gravari testentur Brunnem. de concurs. cred. c. 1. §. 3. Mev. dis-
cuss. levam. inop. debitor. c. 4. sect. 2. n. 10. seq. §. c. 5. n. 27.
seq. & ad Jus Lubec. l. 1. tit. 3. art. 1. n. 26. Mantz. patroc. de-
paup. debitor. decad. 2. qu. 3. quod ipsum etiam ad omnes, qui 56
in domo debitoris commorati sunt, ejusque bona vel pos-
sederunt, vel administrarunt, extendit Fuchs de inventar. c. 3.
n. 169. seq. Quin & referendum huc erit illud, quod aliis in casib. 57
ubi prætiditur quidem paupertas, sed non probatur, alicui
inungi solet juramentum paupertatis, cujus præstatione aliquis
se à suspitione, quasi præter necessitatem privilegia pau-
perum desideraverit liberat, de quo juramento videatur
Gail. l. 2. Obs. 142. n. 6. Dn. Stryk. dissert. special. de Juramento
paupertatis.

Nec minus III. huic juramento locus est, quando dubi- 58
um aliquod super quantitate vel rerum, vel pretii incidit, quod
non commode aliter, quam per hoc juramentum tolli po-
test. Seraph. prævil. juram. 36. Ita quando juxta statuta ac mo- 59
res regionis emigrantibus & bona aliò transferentibus certa
quædam gabella exsolvenda est, nec de quantitate bonorum
constat, indicare emigrantes ea tenentur, & cum facile qua-
dam abscondere possint, juramento hanc suam assertionem
& æstimationem confirmare quandoque adiguntur arg. l. 2. C.
quand. & quib. quart. pars. Dn. Müller ad Struv. Ex. 17. ib. 83.
circ. fin. Dn. Fritsch. Exercit. Jur. Publ. V. 2. Disp. 4. §. 52. ubi 60
tamen, si nihilominus fraudis aliqua subit suspicio, magi-
stratui liberum est æstimationem illam offerendi, uti ex Schar-
p. 4. conf. §. in pr. probat Wehner. Obs. pr. voc. **Nachsteuer**. Similiter 61
succedentes defuncto, ut æqualitas inter eos introducatur, ea
quæ quisque à defuncto accepit, uti notum est, conferre te-
nentur, t. t. ff. §. C. de Collat. verum cum sapius in occulto sit,
D
quan-

- quantum quisque acceperit, mediante juramento acceptorum quantitatem designare debent Carpz. p. 3. c. 11. *df.* 29. Dn. Stryk. *de success. ab intest.* Disp. 11. c. 5. §. 12. *Mev.* p. 4. *dec.* 232. n. 1. *Coltm.* v. 1. *Resp.* 49. n. 53. *seq.* Brunnem. *ad. l. 1.*
- 62 *ff. de collat. n. vr. seq.* nisi forsitan aliquis plane neget se aliquid accepisse, quo casu ipsi prius hoc juramentum imponi nequit, quam cohæredes ipsum aliquid accepisse probaverint arg. *l. 6. C. de probat.* Carpz. *d. c. 11. df.* 16. *Mev.* p. 1. *dec.* 85. Idem obtinet, ubi quis thesaurum quendam invenit, qui tamen ex dispositione legum non totus ipsi acquiritur, sed alii vel in totum, vel pro parte, restituendus venit, de quo vid. *l. un. C. de thesaur.* *Ddres ad d. l. un. §. 39. f. de R. D.* nam & hic juramento se purgare obligatus est, se non plus, quam indicasset, invenisse. Carpz. p. 2. c. 53. *df.* 8. *Et Pr. Crim.* p. 2. *qu.* 86. n. 24. Dn. Müller *ad Struv. d. l. Berlich. p. 2. concl.* 66. n. 33.
- 64 *seq.* Treutler v. 2. d. 20. §. 2. *lit. G.* Nec aliud dicendum in nominibus cæsis aut venditis, ubi per legem Anastasianam saluberrime constitutum est, ut ille, qui minori pretio sibi actionem cedi curavit, non possit plus à debitore cesso exigere, quam ipse solvit. *l. 22. §. 23. C. mandat.* Necessarium itaque tali casu est, ut fidem faciat de quantitate pretii pro debito cesso soluti, quod tamen per solam confessionem cedentis in instrumento cessionis non contingit Berlich. p. 1. *dec.* 32. n. 12. Carpz. *l. 5. Resp.* 33. n. 9. Franc. Niger. *Cyriac. Contr. for.* 617. n. 2. Menoch. *l. 3. presum.* 130. n. 20. & quamvis per testium depositionem de quantitate pretii constare posse existimet Sande *de cession. action. c. 11. n. 12.* cum tamen testibus ignotum esse possit, an ne dicis causa intervenerit pecunia, eaq; postea clam sit restituta, omnem suspensionem ex tam odioso ac suspecto contractu ortam juramento elidere cessionarius necessum habebit. Faber. *in Cod. l. 4. tit. 26. df.* 20. Dn. Müller. *ad Struv. Ex.* 17. §. 83. *in fin.* Frantzk. *l. 1. Resol.* 8. n. 15. *seq.* add. Dn. Stryk. *de cancel. contr. abt. sect.* 4. c. 2. §. 12. Brunnem. *de cession. §. versur. c. 67. l. n. 12.* Plane idem est in casu, quando aliquis vel ex conventionem, vel ex lege aut Statuto, jure retractus uti vult, tunc enim

enim, cum retrahenti pretium conventum & quidem eadem ratione iisdemque terminis solvendum, quibus ab emtore primo promissum aut praestitum, refundere debeat. Mev. ad Jus Lubec. l. 3. tit. 7. art. 1. n. 57. Brunnem. ad l. 14. C. de Contr. Emi. Vend. Richter. p. 2. dec. 76. n. 117. seq. Berlich p. 2. concl. 41. n. 5. facile vero collusio-quaedam inter venditorem primumq; emtorem esse possit, quod majus, quam re verâ solum, exprimatur pretium, ab hac suspitione juramento venditor se liberare, & quantum re verâ conventum sit, indicare tenetur. Carpz. p. 2. c. 33. def. 2. n. 5. Mev. & Richter. ad l. Tiraquell de retrah. lignag. §. 1. gl. 2. n. 16. seq. Dn. Stryk. de success. ab. intestat. D. 9. c. 4. §. 18. Hinc cum in emphyteveli quoque domino directo liberum sit, si emphyteventa emphytevisin vendere velit, intra duos menses idem, quod alius obtulerat, solvendi pretium atque ita rem retinendi l. fin. C. de jur. emphyt. Struv. Ex. II. §. 69. ne forsan ad absterrendum dominum majus pretium indicet emphyteventa, ad juramentum recurritur. Carpz. p. 1. c. 22. df. 8. n. 2. Heig. d. qu. 40. n. 12. add. Grave. de Commiss. emphytevs. c. 3. §. 17. Nec praetereundum hic erit, quod cum nonnullis in casibus creditori competat jus distrahendi pignus, de quo vid. Carpz. p. 1. c. 28. df. 136. seq. Struv. Jurispr. forens. l. 2. tit. 35. §. 24. Dn. Stryk. de Cautel. contract. scilicet. 2. c. 4. §. 41. ita tamen, ut quod ultra creditum suum exinde percepit, debitori restituat l. fin. C. de distr. pign. & ibi Ddres, cum facile hoc casu cum emtore colludere possit, jurare compellatur creditor, quod nulla machinatione usus tanti rem vendiderit, nec pluris vendere potuerit. l. fin. §. 5. C. de jur. dom. impetr. ibique Brunnem. n. 8. Seraph. privileg. jurament. 45. Cui creditori, etiamsi in bona quaedam debitoris immisus sit, incumbet, quot fructus exinde perceperit, juramento indicare, ac ita praesumptionem, quod plus acceperit, elidere Carpz. p. 1. c. 32. df. 28. n. 5. Berlich. p. 1. dec. 88. n. 28. Klock. tom. 3. conf. 169. n. 6. Caterum, quod Carpz. p. 1. c. 22. df. 8. n. 4. huc etiam referendum existimet casum, quando dominus rem sibi furto ablatam ju-

ramento astimat, non admittendum videtur, veriusque est illud juramentum potius pro juramento in litem cum ipso Carpz. p. 4. c. 33. df. 5. habendum esse. vid. Esbach, ad Carpz. d. c. 22. df. 8. n. 5.

- 74 Adhuc quoque IV. huic juramento locus est, si quis ignorantiam prætendat, quem tamen scientiam ejus rei, de qua controvertitur, habuisse suspicio est. Seraphin *privil. juram. 4.* Ut ut enim alias regulariter ignorantia præsumatur, ubi non probatur scientia c. 47. de R. J. in Vito l. 21. ff. de prolat. ibique Brunnem. n. 2. Esbach. ad Carpz. p. 1. c. 22. df. 6. n. 1. Barbos locuplet. l. 9. c. 3. ax. 14. fallere tamen id ipsum pluribus in casibus demonstrat Brunnem. ad d. c. 47. n. 2. seq. ubi cum scientia præsumatur, non aliter, quam mediante juramento de ignorantia constare poterit
- 77 Carpz. d. l. def. 6. & ibi in fine allegat. Dres. Ita, ut paucantum attingam, notum est à sententia intra decendum appellandum esse, computandum scilicet à die notitiæ acceptæ sententiam esse pronunciatam l. 1. §. 7. ff. quand. appell. Gail.
- 78 l. 1. Obs. 139. n. 10. Mynsing. cent. 2. Obs. 2. n. 4. sapius tamen & post decendum aliquis appellat, prætendens se sententiam esse latam ignorasse, ubi, cum non aliter de veritate constare queat, nonnunquam ad hoc juramentum admittitur, ut suspicionem scientiæ contra se militantem elidat. Mev. p. 5. dec. 168. Brunnem. ad d. l. 1. ff. quand. appell. n. 16. Esbach.
- 79 ad Carpz. p. 1. c. 20. df. 5. n. 9. Similiter debitore concursum creditorum excitante per publicum proclama solent creditores citari, ut intra certum terminum sub poena præclusi nomina sua profiteantur, Brunnem. de concurs. credit. c. 2. §. 3. Carpz. p. 1. c. 28. df. 3. Mev. discuss. levam. inop. debitor. c. 3. n. III.
- 80 seq. quod si tamen aliqui creditorum prætendant citationem illam edictalem in suam non pervenisse notitiam, juramento huic haud rarò ad elidendam scientiæ præsumtionem locus concedi solet. Mev. p. 3. dec. 48. Brunnem. ad d. c. 47. n. 4.
- 81 Heig. p. 1. qu. 40. n. 19. Pari modo ob coemptionem rerum furtivarum nonnunquam actio furti contra emtores influitur,

tur, præsertim si clam, vili pretio, à personis suspectis aut pluries ejusmodi res comparaverint. *l. 2. § 5. C. de furt. Carpz. p. 4. c. 40. df. 7. & Pr. Crim. p. 2. qu. 87. n. 54. seq. Tabor. Racemat. Crimin. 2. §. 79. Mev. ad jus Lubec. l. 4. tit. 1. art. 6. n. 7.* Sed cum ibi frequens soleat esse exceptio, sibi 82
 qualitatem rerum fuisse incognitam, se ignorasse res esse furtivas, juramentum hoc haud raro ad purgandas suspiciones imponi emtoribus constat *Carpz. dd. l. 1. § p. 1. c. 22. df. 7. n. 4. item l. 2. Refß. 67. n. 11. seq. Mev. d. l. n. 15. Richter. p. 2. dec. 96. n. 17.* cui iuramento etiam locus datur, quando ille, 83
 penes quem res furtiva reperitur, se venditorem suum ignorare asserit; *arg. l. 5. C. de furt. Heig. d. qu. 40. n. 10.* Nec 84
 prætereundum, quod cum aliquando repertis noviter instrumentis retrahatur sententia contra aliquem lata, de quo in *l. admonendi. 31. ff. de jurej.* cum suspicio contra producentem sit, instrumenta illa ab ipso fuisse occultata, non aliter admittatur ille, quam si ab hac suspicione se liberaverit iuramento, ac ita asseruerit, se nunc demum ad instrumentorum notitiam & copiam pervenisse. *c. Pastoralis 4. X. de Except. Mynsing. cent. 2. Obs. 53. Berlich. p. 1. concl. 38 n. 95. Seraphin. privil. juram. 38. Dn. Müller ad Struv. Ex. 17. §. 56.* Ita quoque cum 85
 moribus nostris ad instantiam mariti permittatur separatio conjugii, si quis ignorans stupratam pro virgine duxerit, *Carpz. p. 4. c. 20. df. 12. n. 6. & jurispr. Conßß. l. 2. d. 193. Brunnem. de jur. Eccl. l. 2. c. 17. §. 25. per Nov. Leon. 104.* non tamen aliter huic locus erit, quam si maritus iuramento suo asseruerit se ante nuptias deflorationis sponsæ nullam habuisse notitiam, & simul ac eam acceperit ab amplexibus uxoris abstinuisse, eoq; modo suspensionem scientiæ & remissionis injuriæ sibi illatæ eliserit. *Carpz. d. l. def. 198.* ibique alleg. Præsumitur etenim 87
 ex cohabitatione conjugali remissio injuriæ, & hinc etiam in casu adulterii commissi hæc cohabitatio post adeptam notitiam adulterii facta actionem ad divortium tollit. *Sande. de eis. Frific. l. 2. tit. 6. df. 2. Covarruv. de matrim. c. 7. §. 6. n. 11. Brunnem. de Jur. Eccles. l. 2. c. 17. §. 20.* nisi conjux inno- 88
 cens

- cens ignorantiam adulterii prætendat, quo casu libera ipsi ad divortium manet actio, modo juramento suspensiones scientiæ purgaverit. Carpz. l. 1. c. 22. *df. 10. n. 5. Reusner. l. 4. dec. 5.*
- 89 n. 107. Plane eodem modo in processu desertionis proceditur, quando se à desertore pars deserta absolvi, novasque nuptias sibi permitti petit, ubi inter alia requisita, ne qua suspicio collusionis remaneat, juramento se purgare tenetur, quod adhibitâ licet omni industriâ nihil quicquam, ubi deserens commoretur, resciscere potuerit, Carpz. *jurispr. confist. l. 3. df. 59. n. 8. Mev. p. 4. dec. 7. n. 10. Nicolai de divort. & repud. p. 1. c. 3. n. 17. add. Brunnem. de jur. Eccles. l. 2. c. 17. §. 29.*
- 90 Refert quoque huc Carpz. *process. tit. 12. art. 5. n. 44.* juramentum diffessionis, quando scilicet quis documenta adversus se producta negans ac recognitionem renuens, assertionem suam negativam juramento confirmare, ac jurato instrumentum aut scripturam diffiteri tenetur, de qua diffessione vid. idem Carpz. *p. 1. c. 17. df. 12. n. 11. Brunnem. proc. civil. c. 19. n. 30. seq. Dn. Stryk. introduct. ad. prax. forens. c. 19. §. 7.* quamvis aliquantum latius hæc pateat diffessio, juramentum enim purgationis regulariter super facto proprio, hæc vero diffessio sæpius etiam super facto alieno præstatur, cum de jure Saxonico instrumenta qualiacunque tam propriâ, quam alienâ manu exarata recognoscenda aut diffitenda sint. Dn. Stryk. *d. l. Nicolai in process. l. 1. c. 53. n. 12. add. Lauterbach. de jurament. credul. sect. postev. §. 33.*
- 92 Nequaquam tamen huc pertinet casus in *l. fin. C. de fideicom.* expressus, quando scilicet moriturus hæredis presentis fidei aliquid committit, ubi hæredi id neganti juramentum
- 93 deferri posse statuitur; Quamvis enim id ad legalia referendum esse videri posset ex iis, quæ habet Carpz. *p. 3. c. 8. df. 41. n. 3. seq.* cum tamen illud non à judice hæredi imponi, sed à parte adversa, quæ sibi aliquid relictum prætendit, deferri ex *d. l. fin.* satis abunde constat, extra dubium est ad judiciale juramentum illud referendum esse. Dn. Harprecht. *ad d. l. fin.*
- 94 *c. 8. §. 23. Richter. p. 1. dec. 62. Theaur. l. 2. qu. 97.* utut purgatorio

torio admodum simile videatur fatente Dn. Harprecht. *d. l. §. 25. n. 20.* Sicuti quoque magnam similitudinem cum hoc juramento habet illud, quod periti in arte aut disciplina quadam, quando de negotio quodam attestantur, præstant, quibus non aliter fidem haberi, quam si super depositione jurant, receptum est. *Schultes. addit. ad Modestin. Pistor. p. 4. qu. 142. n. 11. Covarruv. l. 2. var. Resol. c. 13. n. 4. quod juramentum partim credulitatis, partim purgationis haberi, ut peritus liberet conscientiam ab omni suspitione falsæ ac dolosæ dispositionis existimat; Carpz. p. 1. c. 22. ff. 12. n. 2. seqq. quamvis hoc juramentum non amplius exigi soleat, si periti illi communi partium consensu electi, vel auctoritate publica ad officium aliquod prævio juramento recepti sint, cessantibus nimirum tunc suspitionibus antea dictis. Mynsing. cent. 6. Obs. 34. n. 13. seq. Carpz. p. 1. c. 32. ff. 63. n. 6. Brunnem. proc. civil. c. 20. n. 56.*

Uterius VI. ad hoc juramentum recurritur, quando dubium quoddam, quò scilicet animò aliquid factum sit, existit. *Seraphin. privil. juram. 1.* Ita in causis injuriarum requirunt quidem jura, ut actor reum animum injuriandi habuisse probet, cum animus ille non præsumatur. *arg. c. fin. X. de presumt. l. 51. ff. pro soc. Dres. ad pr. 7. de injur. Schurff. cent. 1. Conf. 88. n. 13. seq.* contingit tamen haud raro ut vel verba prolata dubia sint, & interpretationem in utramque partem admittant, vel etiam graves suspiciones contra injuriantem militent, quod animo injurandi illa verba protulerit, de quibus præsumptionibus Vid. Dn. Lüder. Mencke. *Diss. de probat. anim. inferend. injur. §. 18. seq.* quo casu nullum aliud se ab intentata actione injuriarum liberandi, quam juramentum hocce purgationis superest medium *Carpz. p. 1. c. 22. d. 2. & in proc. tit. 12. art. 3. n. 23. seq. Klock. rom. 3. Const. 184. n. 46. seq. Berlich. p. 1. concl. 52. n. 20. Heig. p. 1. qu. 40. n. 33. Mev. p. 4. dec. 31. n. 6.* quamvis interdum sola declaratio bonæ existimationis mature & judicialiter facta sufficiat, nec hoc juramento opus sit. *Carpz. Praxis, Crim. p. 2. qu. 97. n. 12. seq.*

- seq. Mev. p. 3. dec. 358. & ad jus Lub. l. 4. tit. 4. art. 7. n. 8.
- 105 Sand, dec. frisc. l. 5. tit. 8. df. 7. Nec inauditum est, quod editio instrumentorum, iis, quibus de jure licita est, casibus, frivole sapius & ex mera malitia petatur, ad quam excludendam jus Romanum à petente juramentum calumnia exigebat. l. 6. §. 2. l. 9. §. 3. ff. de Edend. Sed cum hoc juramentum moribus nostris probatò interesse petentis non amplius necessarium esse, & in desuetudinem abiisse tradant Gail. l. 1. Obs. 106. Berlich. p. 1. concl. 45. n. Dn. Stryk. usu modern. ff. tit. de Edend. §. 15. Dn. Müller ad Struv. Ex. §. 3.
- 105 42. lit. z. existimarem nihilominus, si quis petat instrumentum semel jam tum editum sibi iterum edi, cum ita suspicionem incurrat, quod malitiose sibi instrumentum edi petat, eum, ut hanc suspicionem elidat, ad sacramentalem hanc purgationem obligari per tradita Rosbach. in process. tit.
- 106 36. n. 31. In matrimonialibus quoque, si pars sponsalia contracta neget, contra matrimonium vero judiciale juramentum deferre permissum non sit, Brunnem. de jur. Eccles. l. 3. c. 5. §. 1. Carpz. p. 1. c. 22. df. 3. n. 1. & jurispr. Consist. l. 3. df. 44. n. 10. seqq. Hillig. in Donell. l. 24. c. 7. lit. G. nec suppletorium etiam pro matrimonio indistincte admittatur. Brunnem. d. l. §. 6. Carpz. d. df. 3. n. 3. & in process. tit. 12. art. 2. n. 61. seq. Richter p. 1. dec. 8. n. 39. Berlich. p. 1. concl. 54. n.
- 107 14. seqq. suspensiones vero nihilominus adsint matrimonium promissum esse, hoc juramentum ad eruendam veritatem adhibetur. c. 10. X. de despons. impub. Brunnem. d. l. §. 7. Carpz. d. df. 3. n. 4. & jurispr. consist. l. 3. df. 45. Setfer. l. 3. c. 11. n. 7.
- 108 Dn. Müller ad Struv. Ex. 17. §. 45. ad quod juramentum, cum duæ præsumptiones pro deflorata adsint, tum ex parte stupratoris, quod non causa libidinis, sed affectu honestiore eam cognoverit, tum ex parte foeminae, quæ pudorem suum non prostituisse, sed amore conjugali vel spe matrimonii hoc passum esse præsumitur, solam confessionem stupri sufficiens indicium facere existimo cum Brunnem. d. l. §. 8. Mev. p. 3. dec. 73. n. 1. Richter. d. dec. 8. n. 89. Frantzk. ad tit. ff. de jurej. n. 70. Berlich.

Berlich. p. ult. concl. 38. n. 85. Carpz. d. c. 22. df. 4. § Pr. Crim. p. 2. qu. 68. n. 94. seq. licet dissentiat in jurispr. Confessor. l. 3. df. 47. quin & licet stuprator utrumque & stuprum & pro-
 missionem matrimonii neget, si indicia stupri tantummodo
 adfint, favor matrimonii efficit, ut super utroque juramentum hoc reo injungatur. Carpz. d. c. 22. df. 5. quæ tamen
 omnia ita intellecta volo, nisi stuprator probare possit, aut
 sinistram famam fœminæ, tum enim pro honesta persona
 haberi nequit, aut se à fœmina pellectum esse vid. Brunniem.
 d. l. §. 9. Carpz. Pr. Crim. p. 2. qu. 68. n. 100. seq. Esbach ad
 Carpz. d. l. df. §. n. 2. Idem obtinet si verba, quibus aliquis erga
 virginem usus est, sint ambigua, nec præcise sponsalia inferant,
 pro illis tamen etiam interpretationem admittant. Vid.
 Brunniem. ad l. 4. ff. d. sponsal. n. 5. Esbach. ad Carpz. p. 4. c. 20.
 df. 9. n. 5. Cypræus de spons. c. 4. §. 16. Dn. Præses disp. de Jo-
 60 c. 2. 24.

Nec minor Vltio hujus juramenti usus est, quando quaeritur,
 cuius nomine actus aliquis peragatur, aut peractus sit.
 Seraphin. privil. juram. 14. Ita quando aliquis jure retractus
 uti, & rem à se, aut ab alio ex sua familia venditam retrahere
 vult, suspicio vero contra ipsum adfit, quod in præjudicium
 novi emtoris & non in suum commodum retrahat, jurare
 eum teneri, quod bona fide & in suum, non vero in alterius
 usum retrahat, dicunt Gail. l. 2. Obs. 19. n. 10. Maynard.
 l. 4. dec. 32. n. 1. Gylman. Symphor. tom. 4. p. 1. vot. 60. n. 9.
 Rüdinger. Cent. 2. Obs. 21. n. 3. Frantzk. de laudem. c. 16. n. 175.
 Sic eum nonnullis personis immunitas à vectigalibus alijsq;
 oneribus concessa sit, de quibus vid. Esbach de immunit. à Col-
 lect. c. 7. §. 78. ibique alleg. Dares suspicio vero contra aliquem
 fit, quod & aliorum, qui aliàs ad exsolvendum vectigal ob-
 ligati sunt, res ac merces pro suis venditet, & ita falsâ pro-
 fessione vectigal defraudet, mediante hoc juramento illas res
 ad se, non ad alios spectare, obtinere debet Heig. p. 1. qu. 40.
 n. 15. add. Seraphin. d. privil. 14. n. 2. § 3. & ibi Benkendorff.
 not. Similiter cum ad coercendam usurariam pravitatem cer-
 tam

E

tam

eam usuarum quantitate definitur iura; eamque pro utilitate personarum, & quatenus his pecunia opus, determinaverint, de quo in *l. 26. §. 1. C. de usur.* si qui fraudem committere, ac per alios pecunias suas sub majoribus usuris, quam ipsi de jure petere possent, credere velint, juramento hoc purgatorio adstringuntur. Brunnem. cum aliis Ddribus *ad d. l. n. 4.* quamvis hoc vix aliquid utilitatis hodie habere videatur, ubi per generalem imperii constitutionem usura ita restricta sunt, ut non nisi quincunces amplius admittantur. *Rec. Imper. de anno 1654. §. anreichend die künfftige 170. Carpz. p. 2. c. 30. d. 1. n. 21.*

115. Ac in genere tandem VII. hoc juramentum adhibetur, quoties contra aliquem suspiciones, ex quacunque etiam oriatur causa, militant, uti si suspicio adsit heredem scriptum, vi, metu, ac importunis sollicitationibus, quæ testamentum ipsò jure nullum faciunt. Brunnem. *ad l. 1. C. 2. C. & l. fin. n. 11. ff. Si quis aliq. testar. prohib.* Carpz. p. 3. c. 3. d. 16. n. 26. *Struv. Jurispr. forens. l. 2. tit. 20. §. 1. n. 5. Græven. A. 2. concl. 93. n. 1.* testatorem induxisse, ut testamentum faceret, sibi que hereditatem relinqueret, hoc juramentum ei injungi posse extra omne dubium est. Vid. Carpz. *d. c. 5. d. 15. Dn. Lyneker ad Struv. libr. 29. t. 6. §. 52. Kurrer de testament. cuasto. §. 24. in fin.* Item si quis asserat se judici aliquid dedisse, ut sententiam pro se ferret, quod jura non tantum prohibent, uti pluribus deducit Ziegler *de Officio Judic. concl. 20. per 101.* sed & judicem eapropter certis poenis subjiciunt. 121 *l. 3. C. de pen. judic. qui mal. judic. Nov. 124. c. 2.* Judex vero id fateri nolit, juramentum hoc ita ipsi defertur, quod scilicet neq; per se neq; per aliam personam quicquam acceperit, aut promissionem habuerit. *Arth. novojure C. de pan. jud. qui mal. jud. ibique Ddres & Brunnem. n. 8. add. Dn. Schultz diffi. de Argentangin judicial. c. 2.* quo casu tamen hoc singulare est, ut licet pars id asserens nihil probaverit, & nullum indicium corruptionis adsit, nihilominus hoc juramentum locum habeat 122 notante Brunnem. *d. l. n. 10.* Idem obtinet in pacto con- 123 tituti.

tututi, quando constituens negat se promississe ejus, quod Titius debebat, solutionem, ubi deficientibus aliis probationibus hoc juramentum imponitur, sicuti videre est in Responso apud Carpz. p. 1. c. 22. ff. 13. qui & ibidem asserit juramentum hoc obtinere in casu quando aliquis sibi solutionem factam aut pecuniam numeratam esse negat. Add. Dn. Müller *addit. ad Struv. Ex. 17. b. 45. lit. B. n. 2.* Hinc etiam est, quod non nuda assertioni impedimenta allegantis fides habeatur, sed si alia probationes deficiant, juramentum ipsius requiratur, impedimenta allegata vera fuisse & non conficta Mascard. *d. probat. vol. 2. concl. 884.* Carpz. p. 1. c. 9. ff. 11. Mev. p. 2. dec. 212. Dn. Stryk. *us. modern. ff. tit. si quis caution. S. 7. Seraphin privil. juram. 35.* Similiter cum ad probationes perficiendas jura crediderint tres dilationes sufficere, posteriores vero malitiose ad protrahendas tantummodo lites peti praesumant, quartam dilationem non aliter nisi cum sollemnitate legali, i. e. juramento concedendam voluerunt Nov. 90. c. 4. c. pen. X. d. testib. *add. Rec. imp. de anno 1654. S. den punctum probationum 44.* Dn. Stryk. *us. modern. ff. tit. d. feriis S. 18.* Mev. p. 5. de c. 316. Gail. l. 1. *Obs. 91. n. 5. Brunnem. Proc. Civil. c. 6. n. 12.*

Possent equidem haec omnia latius adhuc deduci, pluribusque exemplis corroborari, verum cum ex modo adductis jam tum satis eluceat, quam insignis etiam hujus juramenti purgatorii usus sit in causis civilibus, & quam periculose saepius nimis insitatur communi illi Brocardico, *Actore non probante Reum esse absolvendum* haec dixisse sufficiat.

S. D. G.

CO.

COROLLARIA

I.

Notam meretur formula Advocatorum nostrorum in
judiciis admodum hodie usitata : **Es erscheint Titius in na-
türlicher Vormundschaft seines Sohnes Sempronii.**

II.

Non contra omnem rationem vulgo maritis ex impu-
dicitia uxorum labes ignominiae aspergi judicatur.

III.

Allegatio stupratoris se impragnatae pecuniam dedisse
er hätte ihr Geld gegeben cum in totum non excusat.

IV.

Fidejussor religionis lutheranae vel reformatae, renun-
tians beneficiis fidejussorum jurato, sub clausula : **So wahr
mir die Maria und alle Heiligen helfen : non obligatur.**

V.

Medicum se profiteri sapius magis nocet, quam Jctum.

VI.

Si dicam **Des Herrn Ehren unschädlich / et ist ein &c.**
ab actione injuriarum non sum immunis.

VII.

Juvenis virginem quamcunque appellans : **Jungfer
Schwiegerin / stricto jure actione injuriarum conveniri po-
tett.**

VIII.


Qui non implet ea, ad quae sub oppignoratione famae
suae bey verlust seines ehlichen Namens se obligavit, igno-
miniam utique incurrit.

IX.


**Es ist ein Schelm / oder wird noch einer werden / der
eine Hure zur Ehe nimbt / minus recte à vulgo dicitur.**

X.

Sororii sui uxorem, seiner Schwwestermanns Frau / ali-
quis in matrimonium ducere potett.







ULB Halle
003 263 541





3

Sb.

1077







Farbkarte #13

B.I.G.

1694 14

JURIDICA

ENTO

IO IN CAU-
LIBUS

TRI
BERTINA
DE

OSTRYKIO,
T NOVELL.

DINARIO,
GERMANO

MAJORI
M D C X C I V .

TIONI SISTIT
ANUS STRYKE
IC. A. J. & R.

ANNI, ACAD. TYP.

KOENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE